pro patria, pro libertate pugnantes, militum duces,
ducum tot[i]usq. militiæ imperatores qui adversarios suos
multo sanguine effuso domuerunt, latrones essent Alexander
Hanibal et Scipio, latrones essent Josue et Caleb qui
Chananæos devicerunt, crudeles nominandi forent omnes
maiores nostri, qui patriam, quam incolimus, hostium cruore
bellis, ~~strag~~ stragibus ad libertatis pileum vocârunt, crudeles
essent Romanorum Imperatores Carolum Quintum, Ferdinandum
secundum et tertium loquor, Galliæ Hispaniæque reges
omnes qui regna sua ab hostium telis, populatione et
ruina non sine suorum inimicorumque interitu defendere
conservare, tutarique consueverunt. sed Auditores
Religiosissimi, multis omissis et oratione meâ ad
finem terminumque suum properante, cave cum eius
excellentes laudes et præconia audiveritis, missum
faciam, cum tanta ingenii facultate valeat ut
spectacula populo et nobilioribus præbeat, ut
principibus salutem apprecetur, futura prædicat
artes et ipsam eloquentiam addiscat, quâ
cruenta nemorum portenta flecteret. cum
fortitudo et robur animi ita in eo emicet,

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 239r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/239r)